

votum antequam Josepho desponsaretur, Nyssenus orat, in diem natalem Christi: Non liberorum causa Josepho nupsit, quinimmo nefas illi fuit cognoscere virum: ergo jam voverat virginitatem antequam Josepho nuberet; haec enim, & non alia, erat causa, cur non nuberet liberorum, edendorum voluntate, & quod illi esset nefas. Augustinus lib. de S. Virginitate cap. 4. Desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodiendo, quod illa jam voverat. Rupertus Abbas lib. 3, in Cantica: Quia votum egregium Deo prima voristi, votum Virginitatis, attamen sponsi nomen admissi, despontari viro non renuisti. Quibus addit. Serry rationem, quam ipsimet Patres insinuant, & quam verbis suis afferimus: Si enim, votum non antea nuncupasset, matrimonium cum Josepho iniisset animo cognoscendi virum, & dandi operam liberis; atque ita in futuram copulam, quantum in ipsa fuerat, confessisset. Quominus enim hunc haberet animum, atque in copulam consentiret nubendo, votum dumtaxat impedimento esse poterat. Hanc porro eo nupsisse animo, summæ illius puritati repugnat, quæ cæteris virginibus exemplo esse, ac prælucere debet. Alias excellentiores bene multæ Virgines extinxerunt, quibus nullus unquam hujusmodi fuit animus, nullus unquam consensus in copulam. Ante igitur nuncupaverat votum, quam nuberet viro.

Dicimus II., vere B. Virginem virginitatem vorisse.

I. Probatur a S. Thoma: Quod perfectius est tribui debet Deipara; sed quæcunque virtutis opera perfectiora sunt, si ex voto fiant: ergo virginitas, quæ perfectior, quam in aliis, debuit esse in matre Dei, ex voto fuit.

II. Probatur juxta Patres, ac cæteros catholicos Scriptores. Maria Deipara fuit Virginitatis exemplar, omnibus, qui post ipsam virginitatem colere voluerint; sed non conveniebat, quod exemplar minus haberet perfectionis in eo, in quo erat exemplar: ergo quicquid perfectionis est in Virginitate, fuit in B. Virgine: atque innumeræ fuerunt, & sunt quoque Virgines, quæ virginitatem observant ex voto, quod quidem majoris est perfectionis: ergo ne desit B. Virgini haec perfectio, dicendum est, illam coluisse Virginitatem ex voto. Quod servare Virginitatem ex voto sit majoris perfectionis, apud Catho-

licos certissimum est; & contra Hæreticos probatur; quia illud est majoris perfectionis, quod plurium virtutum in se actus includit, quod majorem obligationem in operante supponit, quod ad excellentiorem virtutem ordinatur; sed quod sit, & exercetur ex voto, includit actus plurium virtutum, supponit majorem in operante obligationem, & ad excellentiorem virtutem operatur: ergo &c. Probatur minor. Quod fit ex voto, præter virtutem illam, cuius est actus, includit etiam actum religionis, ad quam votum ordinatur, quæ quidem est virtus excellentiior, quam sit virginitas, vel alia quæcunque moralis; Insuper dicit majorem obligationem, quia superadditur obligatio, ex voto contracta, & dicit quoque majus meritum; quia, quum sit gravius peccatum non observare rem ex voto promissam, ita pariter debet esse majus meritum illam observare.

III. Probatur. Si Beata Virgo non conceperisset votum virginitatis, vel ideo fuisset, quia illam noluit, vel quia non debuit, vel quia non posuit, vovere; sed hoc totum est falsum: ergo &c. Probatur minor. Non est credendum quod noluit, quia quum offerret Deo Virginitatem suam, intendebat illam offerre meliori modo, adeoque per votum; debuit quoque, quia quum Christus deberet ex Virgine nasci, nasci oportebat ex Virgine virginitate, perfectior, quia perfectior est Virginitas, quando est ex voto; posuit denique, quia nullum ad hoc impedimentum habebat; non ex parte legis, ut dicetur infra, non ex parte Parentum, ut mox quoque explicabitur, neque ex parte Dei; Deus enim non reprobatur quod est perfectius, & promptius acceptat quod in se majus includit meritum.

IV. Probatur. Patres docent, Deiparam mortalius primam virginitatem voruisse, tandemque ex voto servasse: ergo vere B. Virgo virginitatem vorvit. Antecedens probatur a Serry sequentium Patrum testimonio. Origines in cap. 13. Matthæi: Arbitror rationi consentaneum esse, virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse Iesum, mulieris vero Mariam. Non enim plausibile est, alii præter banc virginitatis primitias adscribere. Ambrosius lib. de institutione Virginis cap. 5. Egregia igitur Maria, que signum sacra virginitatis exultit, & intemeratae integratissimam Christo vexillum levavit. Hieronymus epist. 22. quæ est ad Eustochium de custodia Virginitatis cap. 7. Habeant nuptæ suum tempus, ac titu-